Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

inimicus est. Nulla erit rethorici pompa
sermonis. que te et inter angelos statuat. et
beatitudine uirginitatis exposita. mundum
subiciat pedibus tuis. Nolo tibi uenire super-
biam de proposito. sed timorem. Honusta
incedis auro. latro timendus est. ut ui-
tandus. Stadium est uita hec mortali-
bus. Hic contendimus. ut alibi coronemur.
Nemo inter serpentes et scorpiones securus
ingreditur. Et inebriatus est inquit dominus
gladius meus in celo. et tu pacem arbitraris in
terra. que tribulos generat et spinas. quam
serpens comedit. Nobis non est collucta-
tio aduersus carnem et sanguinem. sed ad-
uersus principatus et potestates huius mundi
et harum tenebrarum. aduersus spiritalia ne-
quicie in celestibus. Magnis inimicorum circum-
damur agminibus. hostium plena sunt om-
nia. caro fragilis. et cinis futura post modi-
cum. pugnat sola cum pluribus. Cum autem
fuerit dissoluta. et uenerit princeps huius
mundi. et inuenerit in ea nichil. tunc secu-
audies ra per prophetam. Non timebis a timore
nocturno. et a sagitta uolante per diem. a ne-
gocio perambulante in tenebris. ab incur-
su et demonio meridiano. Cadent a latere
tuo mille. et decem milia a dextris tuis.
ad te autem non appropinquabit. Quod si
eorum te multitudo turbauerit. et ad singula
incitamenta uiciorum ceperis estuare. et dix-
erit tibi cogitatio tua. quid faciemus. res-
pondebit tibi heliseus. Noli timere.
quia plures nobiscum sunt. quam cum illis.
et orabit et dicet. aperi oculos puelle tue
ut uideat. et apertis oculis uidebis igne-
um currum. qui te ad exemplum helie

in astra sustollat. et tunc leta cantabis.
Anima nostra sicut passer erepta est de la-
queo uenantium. laqueus contritus est
et nos liberati sumus. Quamdiu hoc
fragili corpusculo detinemur. quamdiu
habemus thesaurum istum in uasis fictili-
bus. et concupiscit spiritus aduersus carnem. et
caro aduersus spiritum. nulla est certa uicto-
ria. Aduersarius noster diabolus tamquam
leo rugiens. aliquid deuorare cupiens cir-
cuit. Posuisti ait dauid tenebras et fac-
ta est nox. in ipsa pertransibunt omnes bestie
silue. catuli leonum rugientes. ut rapi-
ant et querant a deo escam sibi. Non que-
rit diabolus homines infideles. non eos
qui foris sunt. et quorum rex assyrius carnes
in olla succendit. de ecclesia christi rapere fes-
tinat. Esce eius secundum abacuc electe sunt.
Iob subuertere cupit. et deuorato iuda.
ad cribrandos apostolos expetit potestatem. Non
uenit saluator pacem mittere super
terram. sed gladium. Cecidit lucifer
qui mane oriebatur. et ille qui para-
dyso deliciarum nutritus est. meruit
audire. Si exaltatus fueris ut aquila.
inde detraham te dicit dominus. Dixerat
enim in corde suo. Super sydera celi
ponam sedem meam. et ero similis al-
tissimo. Unde cottidie ad eos qui per
scalam iacob somniante descendunt.
loquitur deus. Ego dixi dii estis. et filii al-
tissimi omnes. Vos autem ut omnes homi-
nes moriemini. et tamquam unus de princi-
pibus cadetis. Cecidit enim primus diabolus.
et cum stet deus in synagoga deorum. in medio
autem deos discernat. apostolus eis qui dii esse